

De latijnse tekst van de oorkonde van 1125

Privilegium Goдебaldi episcopi Traiectensis pro conventu Oistbroick, anno 1125

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Goдебaldus, divina propitiante misericordia dictus Traiectensis Ecclesiae episcopus, cunctis fidelibus post huius vitae laborem caelestium gaudiorum remunerationem. Notum vobis fieri volumus, quod quidam milites, Hermannus et Theodericus et alii quam plures, virtute Spiritus Sancti accensi, cingulo militari abrenuntiantes et in melius vitam suam commutantes, quendam locum solitarium in palude, quae Oistbroick antiquitus vocabatur, elegerunt, ibique ecclesiam in honore sanctae Mariae Dei genitricis et beati Laurentii construxerunt.

Et nos quidem bonae intentioni eorum per Dei gratiam dantes ac remedio animae nostrae in posterum pie consulentes, eandem paludem Oistbroick dictam cum terra adiacentem, videlicet Vene, cum proprietate, cum censu, decimis maioribus et minoribus ac omnibus aliis sibi pertinentibus, cultis et incultis, iustitiis, acquisitis et acquirendis, pratis, pascuis, campis, silvis, mobilibus et immobilibus, libere ac legitime eidem ecclesiae tradidimus. Insuper etiam dispositioni rerum suarum in futurum providentes atque in omnibus sane consulere optantes, petitioni eorum secundum tenorem canonum satisfacere volumus, hoc incommutabiliter statuentes, ut abbas libere ab eis vel canonice eligatur et non ascendens aliunde per ostium Iesu Christi, qui ordinandus est, ingrediatur, nullo omnino negante vel contradicente.

Et quia plerumque solet impedire praesentia seu voluntas episcopi libertatem electionis, praecavendo statuimus, ut absente domino episcopo conventus eligat abbatem secundum regulam suam, personam idoneam, non consentientem vitiis, et electum repraesentet domino episcopo consecrandum. Sit etiam persona talis, quod ipse conventus in praesentia domini episcopi interrogatus sub obedientia confirmare valeat secundum Deum, pro humana intelligentia magis idoneum inter se nequaquam invenire se potuisse.

Et quia multa coenobia videmus peiorata ab hominibus beneficiatis, consensu abbatis atque rogatu fratrum firmiter sub casu praelationis suae praecipimus, ne abbas de rebus ecclesiae suae neque de camera sua nullum feudum dare praesumat, omnino habeat causam in obsequio suo conversos et fratres eiusdem ecclesiae et competentes personas pro loco, pro tempore et pro consuetudine monastica, et pro facultate rerum ecclesiae habeat seorsum, unde caritatis officium et hospitalitatis gratiam exhibeat necessitatibus patientibus, unde ecclesiae suae negotia et fratrum circumquaque procuret.

His autem omnibus supradictis hoc pro timore Dei necessario adscribimus, quia haec eadem ecclesia nostra pauper adhuc et tenella est, quatinus qui ad eam pertinent, cuiuscumque conditionis sint, quantum in nobis praecipientes in se ipsis et bonis suis

quiete pacis perfruantur, nulla ab eis petitio ex potestate episcopali, nulla expeditio exigatur; serviant libere domino suo abbati et ecclesiae, cui servitii sui debitores sunt. Et ut haec omnia omnino rata permaneant per succedentia successorum nostrorum tempora, hanc cartam sigilli nostri impressione signavimus, subter consignatis idoneis testibus.

Philippus cancellarius, Meyngotus ad sanctum Martinum, Hermannus praepositus ad sanctum Johannem, Licardus praepositus, Otto decanus, Luso decanus, Wychardus decanus, Ryquyn de Malberga, Goedefridus de Reni, Arnoldus castellanus, Ghyselbertus. Qui autem huic nostrae piae ordinationi ausu temerario contradicendo obviare ullo modo praesumpserit, sciat se anathematis vinculo irremediabiliter innodatum et a regno Dei alienum.

Anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo vicesimo quinto, anno regni domini Henrici regis vicesimo septimo, anno episcopatus nostri duodecimo, indictione tertia. Feliciter data.

Vidimus Henrici de Boeckhoudt, prioris monasterii sancti Pauli Traiectensis, ordinis sancti Benedicti, anno Domini millesimo trecentesimo quadragésimo sexto, ipso die Jacobi apostoli.

Bron: *Codex Diplomaticus Neerlandicus. Verzameling van oorkonden, betreffende de vaderlandsche geschiedenis*, uitgegeven door het Historisch Genootschap, gevestigd te Utrecht, Tweede Serie, deel IV, tweede afdeeling (Utrecht 1857) pp.5vv.